Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lignum tunc notavit. dampna ligni ut solue-
ret. ut videlicet genus humanum quod per lignum in
mortem corruerat. per ligni salutiferi remedium ad
salvationis eterne restauraret consortium. Sicut enim moy-
ses quondam in deserto amaritudinem aquarum im-
missione ligni dulcoravit. ita Christus dominus sue cru-
cis inpositione, amaritudinem mortis humane
temperavit. Postquam ergo verus heliseus. vera inquam
salus nostra. dominus noster Iesus Christus. lignum precisum ut diximus
misit illuc. id est postquam ligni mortificatione mortem
nostram moriendo destruxit. iam bene subditur. quod
statim ferrum de manubrio in aquam dimersum ena-
tavit. id est ratio et vita quam homo per culpam amiserat. per
mortem filii dei restauratam accepit. Ipsius enim morti-
ficatio. vera mortis nostre fuit destructio. vite que eterne
reparatio. Nam quod post mortem suam rationalem sensum.
filius dei homini reddiderit. sequentis littere sen-
sus innuit. Et ait. Tolle. Quod idem est ac si
homini cuilibet precio sacratissimi corporis et san-
guinis sui redempto. filius dei interne inspirationis
gratia in hec loquatur verba. Quia ego dominus et creator
tuus. in tantum perditioni tue condolui. ut relicta
inestimabili divitiarum mearum gloria. particeps effi-
cerer calamitatis tue in terra. tandemque corpus proprium
et animam pro dilectione tua ad passionem tradidi ama-
rissimam. iam tolle rationem tuam. id est tolle rationalem sen-
sum tuum. quem iterum per corporis et sanguinis mei revocavi
precium. et qui ad honorem dei es creatus. noli ultra simi-
lis esse iumentis insipientibus. Perpende queso rationali
sensu tuo. quantam vicissitudinem reddere debeas pro
tanto beneficio. et quia ego pro tua salute. duros la-
bores. acerrimos dolores. in meo sustinui corpore.
tu quoque qui utique terra es et cinis. pati dura et aspera
pro dilectione mea ne pigeris. Huius etiam suavissi-
me admonitionis voci. devote pro posse suo obedi-
unt electi. et quia redemptorem suum expansis in cru-
ce manibus aspiciunt. ipsi libenti animo ad duros
labores manus suas extendunt. simulque anima
et corpore. ad obsequium se impendunt laudis
divine. Unde mox bene sequitur:

Qui extendit manum suam. et tulit illud.
In extensione manuum. valet intelligi iugis
exercitatio laborum. sicut per salemonem homini cui-
libet salvando dicitur: Quodcumque potest manus
tua facere. instanter operare. quia nec opus. nec ra-
tio erunt apud inferos quo tu properas. Electi
ergo expandunt suas manus. quia pius
insudare non desinunt laboribus. ut videlicet iugi
laborum ministerio. vicem rependere valeant creatori
suo. SEQUITUR

Rex autem syrie pugnabat contra israhel. et con-
siliumque iniit cum servis suis dicens. In
loco illo et illo ponamus insidias. Misit itaque
vir dei ad regem israhel dicens. Cave ne transeas in
loco illo. quia ibi syri in insidiis sunt. Misit itaque
rex israhel ad locum quem dixerat ei vir dei. et preoc-
cupavit eum. et observavit se ibi non semel neque
bis. Conturbatumque est cor regis syrie pro re hac.
et convocatis servis suis ait. Quare non indica-
tis mihi quis proditor mei sit apud regem israhel. Dixitque
unus servorum eius. Nequaquam domine mi rex. sed helise-
us propheta qui est in israhel. indicat regi israhel omnia
verba quecumque locutus fueris in conclavi tuo.
Dixitque eis. Ite et videte ubi sit. ut mittam
et capiam eum. Annuntiaveruntque ei dicentes.
Ecce in dothaim. Misit ergo illuc equos et currus.
et robur exercitus. Qui cum venissent nocte.
circumdederunt civitatem.

Conflictus iste frequenter in hoc libro repe-
titur. quo synagoga cum ecclesia congreditur. Rex
syrie contra israhel pugnat. cum ecclesia gentium.
cum synagoga decertat. Rex syrie consilium cum
servis suis init. cum ecclesia veteris testamenti myste-
ria. cum patriarchis et prophetis. per spiritum sanctum dis-
ponit. Patriarche enim et prophete. sacramentis de-
serviunt ecclesie. Dicit ergo ecclesia fidelibus suis. sub
veteri testamento constitutis. In loco illo et illo
ponamus insidias. scilicet incarnationis et passionis.
redemptoris nostri. sollicitas. sed latentes tendamus
excubias. De his insidiis scribitur. ubi dalila